

laxatione seu remissione obligationis facta ab eo, in cuius favorem promissio iurata emissa est, quia iuri suo quisque cedere potest.

315. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Nunquam obligatur iuramento, qui rem malam iuravit; imo dupliciter peccat, si iuramentum adimpleat, nempe contra Religionem, et virtutem, cui opponitur materia iuramenti. — S. Lig. n. 176.

2<sup>o</sup> Non obligatur iuramento, qui promissionem prodigam iurando confirmavit, quia promissio illa est saltem leviter mala. — Ita Suarez, Salmant., et alii communiter cum S. Lig., qui hoc ut *probabilius* admittit, n. 185. (24).

3<sup>o</sup> Non obligatur iuramento, qui iuratus promisit nuptias puellae diviti, sanae, virgini, bonae famae, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem; quia promissio simplex tunc non obligat. — S. Lig. n. 180.

4<sup>o</sup> Non peccat contra iuramentum, qui urbanitatis causa iuravit, se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc..., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque eius-

Bonacina. Ratio est, quia alia est quaestio, de qua Bonacina, alia vero est, de qua tractant Salmanticenses, et post eos S. Alphonsus. Apud Salmanticenses quaestio fit (Tr. 17. cap. 3. n. 3.): *An si alicui... facultas concedatur dispensandi aut commutandi vota, hoc ipso concessa facultas censeatur dispensandi aut commutandi quaecumque iuramenta soli Deo praestita.* S. Alphonsus vero lib. 3. n. 189.): *Quaeritur, an qui habet facultatem delegatam dispensandi in votis, possit dispensare in iuramentis: eundem autem esse utriusque quaestionis sensum, patet tum ex S. Alphonsi contextu, tum ex allegationibus quas S. Doctor ab illis transcribit. Aliter vero Bonacina (De 2. Praec. disp. 4. q. 1. punct. 17. n. 12.): Dubium est, utrum commutantes vota ex facultate sibi delegata possint etiam commutare iuramenta talibus votis annexa. Atqui posterior haec quaestio ex omnium DD. consensu est plane a priori diversa. Ergo. Quid vero ait Bonacina? Utraque sententia, probabilis est; sed probabilior mihi videtur prima: praesertim in iuramento*

*promissorio; hoc enim non est votum, cum non fiat Deo, sed homini.* Quae ostendunt, ex alia prorsus ratione Bonacina id affirmasse.

Caeterum non omnes facile concedent, invictam nempe esse rationem, propter quam S. Alphonsus, postquam de quaestione a se proposita dixerat, probabilem esse utramque sententiam, tum negantem scilicet tum affirmantem, concludit deinde, *primam sententiam negativam omnino esse tenendam; quia obligatio iuramenti iam contracta, cum sit certa, et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam.* Quispiam ab hominem posset ratiocinando dicere, tum peccata tum censuras esse certas, incertam autem remissionem aut absolutionem, quando iurisdictio Confessarii est tantum probabilis; ergo etc. etc.; quam conclusionem S. Alphonsus, ut notum est, non admittit.

(24) Ne concludas hinc tamen, hunc neque ad id teneri, in quo nulla apparet prodigalitas. Excipe, nisi res promissa sit indivisibilis.

modi iuramentum nullum est ex defectu intentionis iurandi; vel si valeat, ab altero relaxatur. — S. Lig. n. 180.

5<sup>o</sup> Non peccat, qui secretum iuratum detegit, quando ipsa lex secreti cessat obligare; quia iuramentum, ut diximus, sequitur naturam actus, cui adiungitur (25).

6<sup>o</sup> Raro peccant parentes non adimplentes iuramentum puniendi filios; quia plerumque iuramentum est de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; accedit quod delinquentes aut iam emendati sunt, aut saltem emendationem promiserunt. — S. Lig. n. 180.

7<sup>o</sup> Plerumque etiam mercatores non videntur ligari iuramento non vendendi minoris, aut pluris non emendi; vel quia huiusmodi iuramenta ut plurimum sunt de re inutili, vel quia isti homines non habent animum iurandi, aut certe quia iuramento inest tacita conditio, *nisi aliter res melius cedere videantur.* — Ita communius. — V. *Casus*, n. 296. et seq.

## APPENDIX

## DE ADIURATIONE

316. — DEFINITIO. Adiuratio est auctoritativa et deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei, vel Sanctorum, aut rei sacrae, ut inducatur alius ad aliquid agendum vel omittendum.

In eo igitur differt a iuramento, quod non inducat Deum in testem, sed tantum nomen eius interponat ad rem exoptatam efficacius obtinendam ob reverentiam Divinitati vel rebus sacris debitam.

DIVISIO. Adiuratio distinguitur.

1<sup>o</sup> *Solemnis* vel *privata*, prout fit ab Ecclesiae ministris, et modo ab ea determinato, vel solemnitatibus destituitur, et ab omnibus fieri potest.

2<sup>o</sup> *Deprecativa* vel *imperativa*, prout fit per preces, vel per imperium. Haec posterior solis competit Superioribus erga subditos, et Exorcistis erga daemones. — S. Lig. *App. de Adiuratione*, n. 1. (post. n. 193).

(25) Hinc. S. Alphonsus (lib. 3. n. 183.): *Iuramenta de servando secreto, quae praestantur in Congregationibus circa electiones vel alia, obligant graviter vel leviter iuxta nocumentum, quod afferre possunt.* Advertenda insuper sunt, quae idem S. Alphonsus (ibid. n. 180-181.) habet de iuramento, quo quis se obliget ad servanda decreta et regulas vel statuta alicuius Congregationis, Universitatis, vel Capituli, etc. Has nimirum regulas post DD. proponit: 1<sup>o</sup> iuramentum intelligitur

de statutis iam editis, non autem de edendis; 2<sup>o</sup> Obligare censetur sub gravi vel levi, vel sub poena dumtaxat, vel tantum sub consilio, prouti nimirum obligat statutum; 3<sup>o</sup> Non obligat ad ea, quorum obligatio ob impossibilitatem vel desuetudinem non viget; idque valet etiamsi iuramentum de quopiam eiusmodi peculiari statuto praestetur; 4<sup>o</sup> Non obligat demum, quando aliquod statutum a maiori parte communitatis seu Collegii non observatur.

317. **Principia.** — I. Adiuratio solennis licita est solis Ecclesiae ministris, quibus ab Episcopo expresse permittitur; caeteris autem in praesenti Ecclesiae disciplina sub gravi prohibetur; imo multis in locis *suspensionis* poenam incurrunt Clerici, qui sine debita Ecclesiae facultate exorcismos facere praesumunt. — S. Lig. *ibid.* n. 4.

II. Adiuratio privata licita est vel illicita in omnibus illis circumstantiis, in quibus iuramentum licitum aut prohibitum est; hinc quae de iuramento dicta sunt, etiam adiurationi sunt applicanda.

III. Solae intellectuales creaturae, homines scilicet et daemones, *directe* adiurari possunt; *indirecte* etiam creaturae irrationales, ut sol, aqua, nubes, locustae, etc..., adiurando scilicet daemones, ne per eas nobis noceant, aut exorando Deum, vel Sanctos, ut iis, qui huiusmodi rebus utentur, assistant. — S. Lig. *ibid.* n. 3.

Adiuratio autem contra daemones fieri debet tantum modo imperativo, et ad amovenda damna et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem aut curiositatem. — S. Lig. n. 5.

318. **Quaesita.** — QUAER. 1<sup>o</sup> *An liceat uti exorcismis in dubio de possessione?*

*Resp. Affirm.*, si Episcopus re plane cognita id approbet; sed a scandalo et Ecclesiae contemptu sedulo cavendum est.

QUAER. 2<sup>o</sup> *De quibusnam rebus daemon interrogari possit?*

*Resp.* De omnibus generatim, quae ad eius expulsionem conducunt, v. gr. de tempore et causa possessionis, de signo egressus, etc. — S. Lig. *ibid.*

QUAER. 3<sup>o</sup> *Quomodo peccet, qui daemone de iis, quae ad rem non faciunt, curiose interrogat?*

*Resp.* Per se peccat graviter, si multos sermones inutiles cum daemone obsidente habeat; *a fortiori*, si cum ipso iocetur. Secus, si unam vel alteram tantum quaestionem curiosam modo imperativo interponat. — S. Lig. *ibid.*

QUAER. 4<sup>o</sup> *Quaenam sint signa verae possessionis?*

*Resp.* Praecipua sunt: 1<sup>o</sup> loqui idiomate prorsus ignoto ante tempus possessionis; 2<sup>o</sup> occulta et distantia manifestare, quae naturaliter ab homine cognosci nequeunt; 3<sup>o</sup> parere mandato mere interno Sacerdotis, etc.; 4<sup>o</sup> maiorem apparere daemonis vexationem, aut maiorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum, etc. — V. *Casus*, n. 303.

Generatim non facile credendus est aliquis a daemone possideri; quia verae possessiones nostris temporibus raras sunt, et pleraeque ex iis, quae perhibentur, falsae inveniuntur.

## CAPUT III.

## DE VOTO

319. **DEFINITIO.** Votum est promissio deliberata Deo (1) facta *de bono meliori*.

**DIVISIO.** Votum distinguitur.

1<sup>o</sup> *Solemne* vel *simplex*, prout fit solemniter et ab Ecclesia acceptatur, seu ratum habetur, aut seclusa solemnitate et Ecclesiae acceptance emittitur (2).

2<sup>o</sup> *Personale* vel *reale*, prout actio vel omissio, aut res aliqua ab actione personae separabilis, promittitur.

3<sup>o</sup> *Temporarium* vel *perpetuum*, prout ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur.

*Agendum* 1<sup>o</sup> de conditionibus ad votum requisitis; 2<sup>o</sup> de obligatione voti; 3<sup>o</sup> de eius cessatione.

## ARTICULUS I. — DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS.

Conditiones ad voti validitatem requisitae in ipsa voti definitione continentur, ac duae sunt praecipuae: 1<sup>o</sup> intentio vera; 2<sup>o</sup> materia apta.

§. I. *De intentione ad votum requisita.*

320. — Ad voti validitatem requiritur vera et deliberata intentio votum emittendi, seu vera promissio Deo facta, et obligationem inducens; votum enim est instar legis cuiuspiam, quam vovens, capax alioquin perpendendi onus, quod assumit, sibimet imponit. Sufficit autem voluntas et deliberatio, quae ad peccatum mortale requiritur (3).

(1) Votum est actus patriae soli Deo debitus. Quare dum vovemus quaedam Sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum; sicut templa et altaria aedificamus Deo in eorundem honorem. S. Alphonsus lib. 3. n. 194.

(2) Et hinc est discrimen etiam inter violationem voti simplicis et solennis, ut tetigimus, ubi de sacrificio. Alia, quae ad votum solenne spectant, commodius reservantur tractatui de statibus particularibus.

(3) Haec non significant, ad voti cuiuslibet validitatem sufficere eam discretionem ac maturitatem iudicii, quae sufficit ad peccandum mortaliter. Ad grave enim

peccatum satis est confuse nosse gravitatem reatus, sicut ad meritum sufficit generalis et confusa notio boni moralis; ad assumendam vero obligationem non sufficit generalis et confusa notio obligationis, sed requiritur perfectior cognitio oneris, ad quod se quis obligat; quae sane cognitio exigit, ut deliberantis menti obversentur adiuncta ad prudentem deliberationem scitu necessaria. Sic ergo intellige, quod par utrobique sufficiat mentis advertentia, quamquam ad assumendam aut voti aut sponsalium obligationem prudens deliberatio et advertentia sit difficilior, atque adeo maiorem postulet iudicii discretionem.